

hic principium uersus, filius meus es tu,
ut indicaret, se loqui de promissionibus,
quæ continuo sequuntur: Dabo tibi gē
tes hæreditatem tuam & possessionem
orbis terrarum.

47. Sed ad Heb: 1. citat hunc uersum
ad probandam æternam filij generatio-
nem. Et ad Ephe: 1 ait, nos esse in Chri-
sto electos, priusquam iacerentur fun-
damenta mundi. Et 2 Timo. 1 gratiam
nobis datam esse propter eum, ante tem-
pora æterna, manifestatam autem esse
per apparitionem seruatoris nostri Iesu
Christi. Neq; potest hic uersus, filius me-
us es tu, ego hodie genui te, de resurrecti-
one Christi accipi, in 1. cap: ad Hebræos,
quia Paulus diserte ait: Nouissime no-
bis locutus est per filium, per quem etiã
fecit secula. Et addit, Ad quem angelo-
rum aliquando dixit, filius meus es tu,
ego hodie genui te? Hic fileat blasphe-
mus, & nolens uolens fateatur, fuisse fi-
lium Dei, priusquam introduceretur in
orbem terræ, sicut eadem epistola Pau-
lus ex alio psalmo docet, cum ait: Ideo
ingrediens mundum, dicit, hostiam, &
oblationem noluisti, corpus autem ap-
tasti mihi: Hostiæ & holocaustomata
non

non